

OLEA VOLATILIA. 155

Usus externus : Phlogosis-erythema ; morsura insectorum ; contusura ; subluxatio ; distorsio ; arthrodynia.

ÆTHER CAMPHORATUS.

Vide ÆTHER.

AQUA CAMPHORATA.

Vide SOLUTIONES.

OLEA ET OLEOSA.

I. OLEA VOLATILIA.

SYN. *Olea ætherea destillata aut expressa ; olea essentialia s. odorifera plantarum.*

G. *Huiles volatiles (Essences).*

Liquida inflammabilia, volatilia, odoris peculiaris plantæ, fortis penetrantis ; saporis acris, aromatici ; in alcohole præcipue, pro parte tamen etiam in aqua, solubilia, ut plurimum destillatione, quædam etiam expressione, ex plantis integris aut partibus plantarum peculiaribus parata.

A. *OLEA VOLATILIA* destillatione parata.

Plantæ aut partes earum eo anni tem-

pore, quo oleo maxime abundant, collectæ recentes, quandoque etiam modice siccatae, cum aqua destillantur. Quædam macerationem præviam requirunt.

Radices tempore verno; ligna et cortices hyeme; plantæ æstate dum florent aut semina formant; flores dum perfecte explicati sunt; fructus et semina ad maturitatem perducta, colligantur præcipue tempore sicco; dein mox concisæ, et duriores contusæ, cum aqua, aut melius cum aqua quæ antea jam ex eadem planta destillata fuit, ignis gradu mox intenso, ut cito bulliat massa, destillantur. Vegetabilia quæ oleum ponderosius præbent, climatium calidorum præprimis soboles, utiliter cum aqua muriatæ sodæ saturata, utpote quæ majorem caloris gradum suscipit, destillationi exponuntur. Ignis durante operatione ita dirigatur, ut liquor in excipulum transiens filum formet constantem, et ita continuetur quamdiu liquor transiens colorem turbidum lacteum monstrat. In quibusdam plantis, quæ oleum difficiliter largiuntur, convenit præci-

pue aquam destillatione ex eadem planta obtentam, separato prius oleo volatili, plantæ denuo affundere et de novo destillare, quæ operatio *Cohobatio* appellatur.

Olea volatilia leviora ex alembico in balneo aquæ; ponderosiora vero ex retorta in balneo arenæ locata, et in utroque casu mediante recipiente Florentino dicto destillare præstat. Si vero Recipiens Florentinus ad manus non sit, oleum mediante infundibulo separatorio vel mediante gossypio vel filtratione simplici per chartam bibulam aqua madefactam ab aqua separetur, et in vasis probe clausis ab accessu radiorum solarium caute usui servetur.

Proportio aquæ ad substantiam destillandam sit quadruplum pondus. Aqua quæ destillatione cum oleo volatili prodit, separato oleo, principio plantæ aromatico imprægnata, in vasis clausis usui servetur.

Hoc modo parantur :

OLEUM VOLATILE Baccarum juniperi communis.

———— corticis Laurus-Cinnamomi.

OLEUM VOLATILE corticis Laurus-Sassafras.

_____ flavi fructus Citrus-
_____ aurantii.

_____ florum (petalorum) Citrus-
_____ aurantii.

_____ Lavandula-spiceæ.

_____ Tanaceti vulgaris.

_____ foliorum juniperus-sabinæ.

_____ Melissæ officinalis.

_____ Origanum-dictam-
_____ ni.

_____ Rosmarini officina-
_____ lis.

_____ Rutæ graveolentis.

_____ gummi-resinæ Bubon-gal-
_____ bani.

_____ herbæ Menthæ cervinæ.

_____ crispæ.

_____ piperitæ.

_____ viridis.

_____ Origanum-majora-
_____ næ.

_____ Origani vulgaris.

_____ radicis Valerianæ officinalis.

_____ seminum anemthum-Fœni-
_____ culi.

OLEUM VOLATILE seminum Carum-carvi.

————— Caminum-cymi-
ni.

————— Pimpinella-anisi.
————— spicarum Origani cretici.

In India orientali destillatione parantur,
et in Europa vulgo venalia prostant :

OLEUM VOLATILE Camphoræ.

————— corticis vel florum Laurus-
Cassiae.

————— Laurus - Cinnamo-
mi.

————— florum caryophilli aroma-
tici.

————— foliorum Melaleuca - leuca-
deadri.

————— integumenti reticularis nu-
clei Myristicæ moschatæ,
vulgo *Oleum macis* dictum.

————— petalorum Rosæ centifoliæ.

VIRTUS oleorum volatilium eadem est ac
Plantæ ex qua obtinentur, sed concen-
trata. In genere : acris ; stimulans ; calefa-
ciens ; carminativa.

Usus idem ac plantarum sed efficacior :

Dyspepsia; colica flatulenta; paralysis etc.

Externus: Forma linimenti, enematis.

DOSIS: Guttæ duæ — sex ad viginti, imo ad triginta cum saccharo aut vehiculo proprio.

OLEUM VOLATILE BENZOËS.

Oleum ex Balsamo concreto Styrac-Benzoini destillatione acidi Benzoici obtentum, cum aquæ duplo denuo destilla et in vase probe clauso usui serva.

VIRTUS: Stimulans; resolvens; antispasmodica.

USUS: Arthrodynia; paralysis.

OLEUM VOLATILE SUCCINI.

Oleum destillatione acidi succinici obtentum cum aquæ sextuplo mixtum, e retorta vitrea denuo destilla et in vase probe clauso usui serva.

VIRTUS: Stimulans; resolvens; antispasmodica; sudorifica.

USUS *internus*: Spasmi; amenorrhœa. —

Externus cum oleo olivæ spinæ dorsi etc.

affricando : Dialeipyræ; paralysis; arthrodynia.

DOSIS : Guttæ decem — duodecim.

OLEUM VOLATILE PETROLEI.

SYN. *Naphta Petrolei.*

℞. Petrolei vulgo venalis (e gremio terræ effluentis) libras duas.

Aquæ libras quatuor.

Fiat leni igne destillatio, quamdiu oleum limpidum prodit.

VIRTUS : Stimulans; resolvens.

USUS *præcipue externus* : Arthrodynia; ecchymoma; distorsio tendinis; paralysis.

OLEUM VOLATILE TEREBIN- THINÆ.

SYN. *Spiritus Terebinthinæ.*

℞. Terebinthinæ vulgo venalis, ex pinu picea vel larice, obtentæ libras duas.

Aquæ libras quatuor.

Fiat leni igne destillatio, quamdiu oleum prodit.

NB. Quandoque idem oleum denuo destillando rectificatur. Massa in retorta remanens

est *Resina pini flava*, vulgo *Terebinthina cocta* appellata.

VIRTUS: Stimulans; diuretica; sudorifica.

USUS internus: Arthrodynia aut Myodyniam rheumatica. — Externus: Arthrodynia aut Myodyniam; tumores frigidi; paralysis; vulnera tendinum et membranarum.

DOSIS: Guttæ quatuor — decem, et gradatim ad quinquaginta cum melle, superbibendo decoctum hordei vel althææ.

NB. Aqua hoc processu obtenta, separato oleo, utiliter usu interno adhibetur in morbis viarum urinarum, et cutis, blennorrhœa.

OLEUM VOLATILE VINI.

R. Alcoholis concentrati,

Acidi sulfurici ana libram unam.

Caute et gradatim misce et destilla, cavens ne spuma nigra in excipulum transeat. Liquoris destillati partem oleosam separa ab acido sulfuroso, eique adde

Potassæ, in aquæ destillatæ partibus octo dilutæ, quantum satis,

Ut odoris sulfurosi perfecte expers sit;

dein destilla ætherem leni calore. Oleum in retorta remanens et liquori alcalino aquoso supernatans ab eodem separa et usui serva.

Usus *præcipuus* ad parandum ætherem alcoholisatum s. liquorem anodynum minerallem HOFFMANNI.

OLEUM VOLATILE ANIMALE.

— SYN. *Oleum animale dippelii; oleum cornu cervi rectificatum.*

℞. Olei animalis foetidi, destillatione ex ossibus (eodem processu quo carbonas ammoniacæ pyro-oleosus paratur) obtenti, quantum placet.

Infunde cucurbitæ vitreæ, ope infundibuli vitrei longo collo instructi, ne cucurbitæ latera inquinentur. Tum alembico et excipulo probe luto junctis lenissimo igne destilla tamdiu, quamdiu oleum limpidum transit. Oleum hoc sub eadem cautella cucurbitæ novæ infunde, addendo aquæ quadruplum pondus, et applicato alembico et excipulo blando calore denuo destilla et oleum limpidissimum, aquæ instar, pro-

diens, mox in lagenulis vitreis exacte clausis et sub aqua demersis, usui serva.

VIRTUS: Excitans; antispasmodica; sudorifica.

Usus internus: Epilepsia; hysteria; spasmi et convulsiones ex nimia irritabilitate; dialeipyrae (mox ante paroxysmum, præcipue ubi frigoris stadium excedit.) —

Externus: amaurosis; debilitas partium.

Dosis: Guttæ quinque—quindecim ad triginta, cum saccharo vel æthere.

B. OLEA VOLATILIA expressione parata.

OLEUM CORTICIS FLAVI FRUCTUS CITRUS-AURANTII expressum.

Hoc oleum obtinetur in regionibus calidis, acu pertundendo et exprimendo corticem flavum fructus citrus-aurantii maturi.

NB. Hoc oleum sub nomine: *Oleum seu Essentia Bergamotta*, vulgo venale occurrit; et ab alio supra dicto, ex eodem cortice destillatione obtento, probe distinguendum est, quod in commercio sub nomine: *Essentia de Portugal* venditur.

Eodem modo paratur :

OLEUM CORTICIS FLAVI FRUCTUS CITRI MEDICÆ expressum.

SYN. *Essentia de cedro.*

OLEUM NUCIS MYRISTICÆ MOSCHATÆ expressum.

SYN. *Oleum nucis moschatæ; oleum nucis-
tæ expressum.*

℞. Nucum Myristicæ moschatæ quantum
placet.

In mortario calido in pastam contusas,
dein in sacco cannabino inclusas vaporis
aquæ bullientis expone, et prelo laminis
metallicis, aqua fervida calefactis, exprime
oleum.

VIRTUS : Stimulans; grate odorifera.

USUS præcipue externus : Flatulentia; tor-
mina infantum; cephalalgia.

Eodem modo paratur in regionibus ca-
lidis :

OLEUM BACCARUM LAURI
NOBILIS expressum.

NB. Hoc oleum æque ac præcedens est

oleum partim fixum seu unguinosum, partim volatile seu æthereum.

VIRTUS : Stimulans; resolvens.

USUS *externus* : Spasmi; colica flatulenta; paralysis; debilitas membrorum; dyseceæ; aurium dolor rheumaticus.

II. OLEA FIXA.

SYN. *Olea unguinosa*; *olea grassa seu pingua*; *olea dulcia*; *olea expressa plantarum*.

Liquida inflammabilia, gradu caloris aquæ ebullientis non volatilia, nec aqua nec alcohole solubilia, insipida, fatua, inodora.

VIRTUS *in genere* : Emolliens; involvens; relaxans.

USUS *internus* : Nephritis; dysuria; stranguria; raucedo; tussis ab acri; colica spasmodica et plumbea; morbi primarum viarum ex venenis mineralibus. — *Externus forma enematis* : Obstipatio; colica; hæmorrhoidum tumor dolens; ascarides recti. *Forma linimenti* : Physconia

abdominalis; ascites; contractura; rigiditas articularum; excoriatio; fissura papillarum, labiorum etc.

Dosis : Drachmæ duæ — quatuor bis tervē de die, cum jure carniū vel emulsione aut decocto mucilaginoso calido.

A. *OLEA FIXA* expressione parata.

OLEUM AMYGDALARUM.

Ex fructibus amygdali communis dulcibus vel amaris decorticatis, contusis et in sacco inclusis, prelo frigide exprime oleum.

NB. Hoc oleum facile rancescit, hinc recenter expressum præscribendum est.

Eodem modo parantur :

OLEUM Lini, ex seminibus Lini usitatissimi frigide expressum.

— Olivarum, ex fructibus Oleæ Europææ frigide expressum.

OLEUM RICINI.

Ut plurimum ex India occidentali sub nomine : *Oleum Palmæ*, *Oleum de Palma*

Christi, Oleum de Kerva, advectum vulgo venale occurrit; et ex seminibus Ricini communis sollicitè decorticatis, expressione frigida paratur.

VIRTUS : Leviter acris; leniter cathartica.

USUS *eximius* : Obstipatio præcipue cum hæmorrhoidum tumore dolente; colica spasmodica, et plumbea; ileus; sæcum retentio in dysenteria; nephritis; vermes.

DOSIS : Uncia semis — una ad uncias duas cum jure carniū aut succo citri; vel in haustu alcoholis diluti cum saccharo.

OLEUM CACAO concretum.

SYN. *Butyrum cacao.*

R. Nucum seu fructuum arboris, Theobroma cacao dictæ, quantum placet.

Leni igne tosti, a corticibus liberati et grossiuscule contusi, dein in vase ferreo super ignem continuo movendo leniter calefacti in saccum cannabinum immittantur, et preli laminis aqua fervida calefactis exprimantur.

Oleum butyraceum sic obtentum cum aquæ duplo digere in balneo arenæ, donec a fæcibus subsidentibus liberatum sit; dein frigefactum ab aqua separa et usui serva.

Idem oleum etiam obtinetur coctione methodo sequenti.

B. OLEA FIXA coctione parata.

OLEUM butyraceum THEOBROMA-
CACAO.

℞. Fructuum Theobroma-Cacao libras
duas.

Leviter torrefactos, a cortice mundatos,
et in mortario calido contusos leniter coque in

Aquæ libris sedecim,

Donec oleum supernatet, quod, frigefacta
dein aqua, concretum colligatur.

VIRTUS et USUS *idem* ac olei amygdala-
rum sed gustu gratior. — *Externus* ad fis-
suras labiorum, et papillarum; varices
ani dolentes.

DOSIS : Drachma una—tres, cum lacte cali-
do, jure carniū, thea aut coffea.

OLEUM MATRICARIA-CHAMOMILLÆ.

R. Florum matricaria-chamomillæ libram unam.

Olei olivarum libras tres.

Coque leni calore ad humiditatis consumptionem; dein exprimendo cola.

Eodem modo paratur:

OLEUM COCTUM foliorum Hyosciami nigri.

Usus præcipue externus, forma enematis, linimenti: Colica spasmodica; dolores hæmorrhoidales; dysuria; spasmi.

III. CERA FLAVA ET ALBA.

Purificatæ in commercio vulgo venales occurrunt.

IV. ADIPES SEU AXUNGIAE.

Olea animalia fixa concreta.

ADIPO-CERA PHYSETERUM.

Pura, sub nomine improprio *Spermaceti*, vulgo venalis occurrit. Hæc substantia in

ADIPO-CERA, AXUNGIAE. 171

cavo peculiari in capite supra cranium
PHYSETERIS MACROCEPHALI aliarumque
Physeteris specierum, forma olei secreta
et collecta, accessu aëris in formam solidam
concrescit aut crystallisatur.

AXUNGIA PORCINA PURI-
FICATA.

SYN. *Adeps suilla curata; adipis suillæ
præparatio.*

R. Adipis suillæ quantum placet.

In frustula concisam aqua lava, et cum
pauillo aquæ leni igne liqua; deinde co-
lando à membranis separa.

VIRTUS : Emolliens.

USUS præcipuus : Pro parandis variis un-
guentis et emplastris.

Eodem modo purificatur :

SEVUM OVILLUM.

BUTYRUM.

Ex lacte vaccino arte obtentum vulgo
venale occurrit.